Nobiliſſimo & incomparabili Viro,

CONSTANTINO HUGENIO,

Robertus Keuchenius, S. P. D.

Quamvis ex tempore & aliud agendo Te vivere ſciam, Vir Nobiliſs.me, cogor tamen eorum memoriam renovare, quorum fidem pridem luculentam concepi, cum hic Arnhemi morareris. Dum auctoritate præcellentium virorum Profeſſionem Ultrajectinam aucupor, inopinato Antonii Æmilii fato vacuatam; Tuum præ cæteris, Humaniſſime HUGENI, animum & ſuffragium exorare viſus ſum, quo ad tantam provinciam ritè capeſſendam decus & aditum mihi præstruerem. Quod tamen invitus quodammodo à verecundia mea impetrare valui. Semel dicam: Quicquid ex eventu tam expetitæ felicitatis mihi præsagire videor, id unum in Tuâ manû situm eſſe. Tu, Vir Illuſtris, me ama, ſi potes: his annue, ſi lubet. Poteris autem, quia Humaniſſimus es: lubebit, quia literatorum ſtudioſiſſimus. Illud benignè facies, hoc lubenter. Utrumque mihi honeſtum, Tibi honorificum. Vale. Arnhemi Gelror. a. d. VI. Kalend. Majas Julian. CIƆ IƆCLXI.

© National Library of Scotland, Edinburgh
Adv. MS. 81.1.15, fols. 23-24
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/n0491

Den Hoogh-Edelen en Ge-
strengen Heere,

Den Heere, Constantin Hui-
gens, Ridder, &c. Heere van
Zulechem en Zeelhem, &c.
Raadt en Geheimschryver van
Zijne Hoogheit de Prince van
Orangien

in 's Graaven-Haags.

© National Library of Scotland, Edinburgh
Adv. MS. 81.1.15, fols. 23-24
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/n0491